



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Soluitur argumentum ductum ab exemplis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum ductum ab exemplo.

SEPTIMUM argumentum sumit Caluinus à tribus exemplis, quæ habentur in Scriptura. Nam 4. Regum 16. refertur factum Achaz Regis & Vnicuique Pontificis, qui addiderunt templo vnum aliud altare. Quod etsi videbatur ex se facere ad ornatum templi, tamen quia Deus hoc non iusserat, tanquam humanum inuentum reprobatur. DEINDE, cap. 17. refertur de iis, quos transtulit Rex Assyriorum de Babylone in Samariam, quod immixtis à Deo leonibus puniti fuerint, quia coluerunt deum nouis caerimoniis, quas Deus non præceperat. DENIQUE, 4. Reg. 21. refertur de Manasse Rege, quod in eo præcipue peccauerit, quod in templo exstruxit aras, quas nimirum Dominus non præceperat.

RESPONDEO; admirabilem planè esse impudentiam Caluini, qui Achaz, & Manassem, & Babylonios docet in re peccasse, quod caerimonias instituerint à Deo non præceptas, cum Scriptura clarissimè dicat, istos omnes peccasse peccato idololatriæ. Nam ACHAZ reprehenditur, non quod altare nouum erexit in templo, sed quod altare erexit similitudinem altaris idoli, quod erat in Damasco, & quod altare Domini amouerit à loco suo, & noluerit sacrificia offerri in altari Domini, sed solum in altari illo nouo, & idolo consecrato. MANASSES quoque non arguitur, quod aras in templo exstruxerit, sed quod exstruxerit eas vniuersæ militiæ cœli, id est, in honorem omnium syderum, & quod in templum Domini traduxerit idolum, quod antea in luco manebat.

Quòd enim non fuisset malum, erigere in templo aliud altare, etiam si Dominus hoc non imperasset, patet ex 3. Reg. 7. vbi legimus, Salomonem, cum vidisset altare Domini, non capere omnia holocausta, quæ offerebantur, sanctificare se alium locum in templo, & ibi obtulisse etiam holocausta. Hoc enim Salomonis factum Deus nec imperauit, nec improbauit. Nisi potius approbasse dicendus sit, cum sequenti capite Salomoni per quietem apparuerit, cumque laudauerit, ac multa illi bona promiserit.

Porrò

Porrò BABYLONIO sillos, qui habitabant in regione Samariæ, constat idololatrâs fuisse. sic enim Scriptura loquitur lib. 4. Regum, cap. 17. *Cumq; ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* Et infra: *Vnaquaq; Gens fabricata est Deum suum, posueruntq; eos in phanis excelsis.* Et infra: *Et cum Dominum colerent, Diis quoq; suis seruebant, iuxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam.* Hoc igitur peccatum Scriptura reprehendit, non aut quodd Deum nouis cærimoniis colerent.

CAPVT. XX.

Soluuntur argumenta duo desumpta ex ratione conscientia.

ARGUMENTVM OCTAVVM Caluini est; Paulus nullo modo permittit fideles conscientias in hominum seruitutem redigi. Ait enim I. Corinth. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Vbi Paulus non præcipit, ne serui obediant dominis suis in rebus exterioribus: nam ad Ephes. 6, ait: *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore.* Neque præcipit, ne qui sunt liberi, serui efficiantur; nam in eodem cap. I. ad Corinth. 7. ait: *Seruus & vocatus es, non sit tibi cura, sed etsi potes fieri liber, magis &tere.* id est, etiamsi possis liberari, melius tibi est, vt seruias, & vtaris conditione seruili, ad conseruandam humilitatem. Igitur superest, vt prohibeat seruire hominibus cum timore peccati, & anxietate conscientia, quomodo soli Deo seruiendum est.

RESPONDEO; Paulum eo loco solùm præcipere, ne seruiamus hominibus præcipuè propter homines, sed propter Deum, ita vt magis Deo in hominibus, quàm ipsis hominibus seruiamus. Ita enim seipsum Paulus explicuit Ephes. 6. *Serui, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Illi ergo fiunt serui hominum (quod Apostolus prohibet) qui homines præcipuè

ooo s puè